

# NICOLAUS CRASSUS DONATO MAUROCENO, VENETO SENATORI.

**M**ulta sunt, Donato, Senator amplissime, quae meam olim in Cretam profectio-  
nem caram mibi, atque fructuosam admodum faciant. Etenim & apud maxi-  
mos illos Triumviro, quaestionibus exercendis summo cum imperio in oriente praefec-  
tos, fisci patronus, operam meam, quantula ea cumque est, Reipublicae (qua nihil un-  
quam antiquius habui) multos annos praestiti; & patrem regni ipsius Cretae Ma-  
gnum, ut vocant, Cancellarium designatum lubens, eas in regiones secutus sum; &  
quidquid denique in orientis regionibus Respublica possidet, Corcyram, Zacynthum,  
Cephalleniam, Cytheram, & Cretam exacte, diligenterque non intueri modo, quod  
pergratissimum accedit; sed etiam perlustrare, earumque gentium mores, instituta, le-  
ges penitus, atque exacte pernoscere licuit. Verumtamen biennium illud, quo tu per-  
nobilis regni, Reipublicae nomine, Duce meisti, tibique praecipue pro munere quidem  
meo, sed multo magis pro maxima tua in me benignitate semper adhaesi, incredibile  
dictu est, quantum attulerit mibi voluptatis, & fructus. Occurrunt animo saepius quae  
inter nos de literarum studiis frequentissime differebamus: occurruunt sermones tui,  
non eruditii modo, & humanissimi; sed graves etiam, & optimi, a quibus & instru-  
ctor, & melior etiam discessisse me semper arbitror: occurrit eximia illa tua in an-  
uona curanda diligentia, in jure dicendo aequitas, & sapientia, in delictis puniendis  
pietate mixta severitas; sed praecipue in dignitatibus, & muneribus ex legum praescri-  
pto tribuendis postea in oculis omnium, jureque jurando firmata integritas; ut exem-  
pli non minus, quam sapienter institutis, quod principem virum in primis decet, in  
commune consuleres. Haec sane omnia, dum jucundissima quadam commemoratione me-  
cum ipse reputo, venit in mentem tristis ille, & acerbus nobis allatus nuncius, dum  
una essemus, de ANDREAE MAMROCENI, Senatoris amplissimi, obitu, tibi sa-  
ne & studiorum similitudine, & perverteri necessitudine conjunctissimi, & quem ego  
praecipue inter omnes unum amore, atque reverentia singulari proseeetus fueram; simul-  
que & gravissimus animorum nostrorum sensus, & voces illae tuae, quibus me, ut Vi-  
tam ejus scribendam aggrederer, cobortatus es. Id vero, sicuti celeriter pollicitus fui,  
inque me facturum recepi, sic brevi quoque pro viribus effecissem, nisi multis, ma-  
gnisque cum domesticis, tum forensibus negotiis implicatus, vix toto in triennio huic  
tantulae scriptioni tempus habuisset, atque id summis occupationibus quoque creptum.  
Quod igitur hoc nomine tibi debo, cum tu saepius cunctantem excitare soleas, nec diu-  
tinus suscineri solutio posset, utcumque valeo, persolvere decrevi; tuae vero benignitatis  
est, quod ab iis, quibus non est solvendo, lentisque nominibus fieri solet, quodcumque of-  
fero, licet nec justi ponderis, nec melioris notae, aequi bonique ducere non tantum, sed  
inita etiam, subductaque ratione, & quid ex promissis amplius debeam, ut debo cer-  
te plurimum, benigne tamen id omne condonare, atque adeo remittere. Vale.  
Venetiis, pridie kal. sept. M. DC. XXI.